

CONCIO X.

MYSTERIA.

I. Cur voluit Deus tempore Christi nati descriptionem orbis fieri? — II. Quod tempus nati Christi? — III. Cur Christus in Bethlehem natus? — IV. Cur reclinari voluit in præsepio? — V. Cur vocati præ cæteris pastores?

THEMA.

Transeamus usque Bethlehem et videamus hoc Verbum, quod factum est. Luc. II.

Magna et mira visio ostensa fuit Moysi pascenti oves, cum apparuit ei Dominus in flamma ignis de medio rubi, Exod. III. Hinc enim obstupefactus Moyses dicebat: *Vadam et videbo visionem hanc magnam, quare non comburatur rubus.* Rubus iste igneus, sensu allegorico, designabat Deum in carne, seu Verbum, quod caro factum. Rubus enim spinosus, asper, contemptus significat Christi humanitatem, quam ipse sponte multis ærumnis et laboribus subjectam, pauperem, humilem, despiciabilem, et hodie infantili corpore jacentem in præsepio, salutis nostræ causa suscepit. Ignis deitatem notat, juxta id Deut. IV. *Deus tuus ignis consumens est.* Jam sicut ignis rubum, ita deitas humanitatem ejusque mortalitatem et infirmitatem non consumpsit. Hoc quod olim Moysi ostensum est in figura, hodierna die pastoribus monstratum est reipsa cum audierunt Verbum carnem factum, et reclinatam in præsepio. Bene igitur et ipsi dicebant: *Eamus et videamus hoc Verbum, quod factum est.* Horum exemplo et nos eamus et videamus visionem hanc magnam; cur, quando, et ubi nasci voluerit Filius Dei, cur reclinari in præsepio, cur pastores ad se vocarit, et quid a nobis postulet.

I. Cur voluit Deus tempore nati Christi descriptionem orbis fieri. Respondetur primo, ut hac occasione Joseph et Maria pergerent in Bethlehem, ubi Christum nasciturum prædixerat Michæas. Conceptus sane erat in Nazareth; unde merito quis dubitare poterat, quomodo nasciturus esset in Bethlehem? Sed nimirum Deus mille modos habet implendi et exequendi decreta sua. Quare nihil nos movere debet, si non perspiciamus, quare hoc vel illud Dei statutum (verbi gratia, quomodo resurrectio mortuorum et redintegratio corporum, igne, putredine vel a bestiis absumptorum, fieri possit, etc.) impleri queat; nihil Deo difficile, nedum impossibile est.

Secundo, ut pateret, Christum de stirpe Davidis natum, in cujus civitate profiteretur ejus mater; et tempus Messie appetiisse, cum scilicet sceptrum ablatum esset de Juda; ostendebat enim

hæc descriptio et edictum Judæos Romanis esse subjectos.

Tertio, mystice secundum S. Ambrosium, in Luc. II. ut intelligeremus descriptionem hanc universi orbis potius pertinere ad eum, qui tunc nascebatur, verum totius orbis Dominum. Cui consonat quod refert Orosius, Augustum hoc ipso tempore Domini titulum recusasse, quasi præsentem, natum jam in terris esse verum eam terræque Dominum. S. Gregor. hom. VIII. in evangelia ait, nascente Christo mundum descriptum, ut aperte demonstraretur: *Quod ille apparebat in carne, qui electos suos adscriberet in eternitate.* Tributum Christo dandum fides est.

II. Qui sunt illi dies seu quod tempus descriptionis orbis et nativitatis Christi?

Respondetur primo, natum Christum circa annum quadragesimum secundum imperii Augusti, ætatis vero ejus sexagesimo secundo.

Respondetur secundo, natum eo tempore, quo magna tote orbe pax florebat, quoniam (ut apostolus ait ad Ephes. II.) *Ipse est pax nostra*: et ut Isaias, c. IX. ait: *Princeps pacis.* Aquila aliunde advolante (ait S. Basilius, Isai. II.) ac desuper conspecta, futili garrulitati loquacium avium silentium indicitur. Ita Christo in orbem procedente, terræ dominis bella cogitantibus silentium impositum. In diebus quibus alycon in litore maris ovis incubat, tranquillum mare est, ut scribit S. Ambrosius, lib. V. hexam. cap. XIII. unde dies illi alyconii vocantur. Cur ergo non etiam pariente Virgine pax in orbe sit? Ros non nisi serena et tranquilla nocte cadit, teste Aristotele, lib. I. meteor. cap. X. Vult ergo etiam Christus non nisi in tranquillo et sereno corde nasci, ubi arma, lites et pugna conscientie silet.

Respondetur tertio, natum dominica die: *Ut quo die dixit: Fiat lux, et facta est lux, ejusdem diei nocte oriretur in tenebris lumen rectis corde,* inquit Rupertus, lib. III. de divinis officiis, cap. XIII.

Respondetur quarto, natum in solstitio hiberno, vel circa id, quo tempore solent dies crescere, et sol ad nos accedere, ut intelligeremus, quia gratiæ lucem Christus sol justitiæ attulit et auxit, cum ad nos accessit. Ad hæc media hieme nasci voluit quia elegit tempus frigidissimum, et quod carni molestius est, ut carnis prudentiam taxaret, secundum Bernardum, serm. III. in nativitate.

Respondetur quinto, media nocte natum, ut ex tenebris lux splenderet.

III. Cur in Bethlehem civitate David nasci voluit?

Respondetur primo, ut demonstraret se esse de domo et familia David, Luc. II.

Respondetur secundo, ut humilitatem sectaretur (Bethlehem enim humilis et abjecta civitas erat) et inde majori sua gloria ad regnum se proveheret; sicque etiam nos humilitatem sequi doceret: *Qui servi susceperat formam,* inquit S. Leo, serm. I. de epiphania. *Bethlehem prælegit nativitati, Jerusalem passioni.*

Respondetur tertio, ut per hanc pauperem suam nativitatem mereretur nobis sublimem in celo. Congruit huic rei situs civitatis, quia erat via in Jerusalem: si per humilitatem ascenditur ad celestem Jerusalem, id est, pacis visionem.

Respondetur quarto: *Bene in Bethlehem nascitur Christus,* inquit S. Gregorius, homil. VIII. in evangelia, *ipse est enim, qui ait: Ego sum panis vite,* etc. (Bethlehem enim domum panis significat) item quia electorum mentes interna satiæte refecturus erat, secundum Greg. ibid.

IV. Cur reclinari voluit in præsepio? Respondetur primo, ad litteram: *Quia non erat ei locus in divorsorio.* Omnia enim divorsoria a ditioribus jam occupata erant, itaque secessit Deipara in stabulum vel spelancam: et quia non habebat cunas reclinavit filium in præsepio, ut vel ibi commodius cubaret.

Respondetur secundo, ut significaret se esse verum pastorem, imo etiam cibum pecoribus suis futurum.

Respondetur tertio, ut indicaret regnum suum non consistere in fastu, palatiis, opibus, et pompa, sed in mundi contemptu, nec ignominie Christo fore hanc paupertatem, sed gloriæ, imo hoc esse ejus symbolum.

Respondetur quarto, ut statum, in quem deciderat homo, comparatus jumentis, ostenderet; necnon gentium, quæ bestiarum instar debebant, conversionem.

V. Cur præ cæteris vocati ad Christum pastores?

Respondetur primo, ut pateret, qualis futura esset messis apud Judæos in evangelio admittendo. Cujus primitiæ essent pauperes et simplices. Nam de potentibus dicitur: *Numquid ex principibus aliquis credidit in eum?* Joan. VII. Ex gentibus contra primo vocantur reges, quia plurimi potentes ex iis credituri erant.

Respondetur secundo, ut damnaret mundi fastum et superbiam, dum humiles tantum, non superbos Phariseos ad se vocavit. Nec mirum, quia cum Christi prædicatio sit de contemptu mundi, de mortificatione, cruce, etc. pauperes hanc avidè arripiunt, ut se in sua paupertate solentur et aiment, hæc vero fugiunt et oderunt divitas. Unde S. Jacobus, cap. II. ait: *Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide*

et heredes regni? Rem æquum est ut qui corporalibus bonis destituuntur, spiritualibus donentur, et vice versa: « Difficile, impossibile est, ait S. Hieronymus, epist. XXXIV. ad Julianum, ut presentibus quis et futuris fruatur bonis; ut hic ventrem et ibi mentem expleat; ut de deliciis transeat ad delicias, ut in utroque sæculo primus sit; ut in celo et terra appareat gloriosus.

Respondetur tertio, quia capaciores erant hujus mysterii: superbi non credidissent, sed de infante hoc dixissent, quod Achis rex de Davide: *Vidistis hominem insanum?* Quare addixistis eum ad me? I. Reg. XXI. vel cum Michole: *Quam gloriosus est hic rex?* I. Reg. VI. Pastores rem ut audierunt ab angelis, ita crediderunt. Pulchre S. Augustinus, serm. LIX. de verbis Domini ait: « Veni tu pauper, nihil habes, nihil nosti, sequere me: tam largo fonti vas inane admovendum est. » Accedit quod divites et delicti vix adigi potuissent ut venirent. Alii enim suaviter dormientes, surgerent renuissent; alii celum nubium vel intempesta nox displicuissent; alii longiore apparatu opus habuissent, etc.

Respondetur quarto, quod pastorum simplex relatio majorem audientibus fidem faceret. « Plebem Dominus simplicem requisivit, inquit S. Ambrosius, Luc. II. quæ phalerare audita et fucata nesciret; simplicitas enim queritur, non ambitio desideratur. » Alexander Magnus Homerum optabat reviviscere, ut suarum laudum dignum haberet præconem; sed non ita Christus, qui nullius præconis fucæ indiget, simplicitate delectatur. Sicut Draconites gemma non admittit artem aut polluram, sic et Christi evangelium.

Superest nunc ut nos quoque cum pastoribus eamus et videamus hoc Verbum Dei, scilicet Filium incarnatum; et quid ipsi debeamus. Imprimis enim debemus ei homagium et subjectionem pedumque osculum. Sic enim jubet ejus Pater, Psalm. II. dicens: *Et nunc reges intelligite, erudimini qui judicatis terram, servite Domino in timore et exultate ei cum tremore: osculamini filium* (uti vertunt aliqui ex Hebræo.)

Deinde, debemus ei gratam tanti beneficii recordationem: ad quam incitare voluit homines aliquando S. Francis, qui de re S. Bonaventura in vita ejus, cap. X. ita scribit: « Contigit anno tertio ante obitum suum, ut memoriam nativitatis pueri Jesu, ad devotionem excitandam; ad castrum Græcii disponderet agere cum quanta majori solemnitate valeret, ne vero hoc levitati posset adscribi, a summo pontifice petita et obtenta licentia, fecit præparari præsepium, apportari fœnum, bovem et asinum ad locum adduci. Advo-

cantur fratres, adveniunt populi, personat silva voces, et venerabilis illa nox luminibus copiosis et claris laudibusque sonoris et consonis et splendoris efficitur et solemnis. Stabat vir Dei coram præsepio pietate repletus, respersus lacrymis, et gaudio superflusus. Celebrantur missarum solemnitas super præsepe, levita Christi Francisco sacrum evangelium decantante. Prædicat deinde populo circumstanti de nativitate regis pauperis, quem cum nominare vellet, puerum de Bethlehem præ amoris teneritudine nuncupabat. Miles autem quidam virtuosus et verax, qui propter Christi amorem sæculari relicta militia, viro Dei magna fuit familiaritate conjunctus, dominus Joannes de Græcia, se vidisse asseruit, puerulum quemdam valde formosum in illo præsepio dormientem, quem beatus Pater Franciscus ambobus complexans brachiis, excitare videbatur a somno. » Addi S. Bonaventura fœnum hoc præsepiti a populo reservatum, multos brutorum morbos sanasse, et pestes depulisse.

Præterea ut pauperem puerulum vestiamus et alamus, quod fiet si ejus nomine pauperibus necessaria suppeditemus. S. Vincentius, serm. de nativitate Domini refert pium quemdam mercatorem Valentia solitum fuisse singulis annis in die natali Domini ad honorem Jesu, Mariæ

et Joseph invitare ad mensam pauperulam feminam, filium infantem in brachio gestantem, necnon et pauperem senem, qui matrem et Filium comitaretur. Quod obsequium adeo Deo gratum fuit, ut mercatori moribundo Christus, Deipara et Joseph apparuerint dicentes: *Quia nos huc usque per annos singulos tam grato suscepti animo in hospitium tuum, nos vicissim te in æterna tabernacula suscipimus regnaturum.*

Denique, ut proximos etiam nostros ad præsepe Domini adducamus, quo et ipsi Christum agnoscant, venerentur et amplexentur, suasque in ulnas accipiant per s. communionem. Dicamus alter alteri: *Transeamus usque Bethlehem, et videamus hoc Verbum.* Relinquamus hisce feriis ludos, jocos, comessationes et ebrietates; et seria potius agamus, quorum nos feriæ natalitiæ commonefaciunt. Contemplemur Deum infantem, præsepe, fœnum, pannos; quid sibi ista velit. Hujus rei gratia S. Hieronymus in Bethlehem concessit, ut juxta illud viveret, cœlestem vitæ rationem instituens; ad idem etiam vocavit Paulam, Eustochium aliasque Romanas matronas et virgines nobilissimas. Unde meruit ut etiam mortuus juxta præsepe Domini, quod tantopere amarat, repositus conquiesceret, Romæ ad S. Mariam majorem, etc.

AUCTARIUM.

CONCIO I.

CHRISTI NATIVITAS CORDI NOSTRO IMPRIMENDA.

Quædam consideranda circa nativitatem Domini. —

I. Quis est qui ad nos venit? — II. Ad quos venit?
III. Quomodo venit? — IV. In quem finem venit?

THEMA.

Transeamus usque Bethlehem, et videamus hoc Verbum, quod factum est. Luc. II.

Pietate ac doctrina vir insignis, Ludovicus Grænatensis, conc. III. in natali Domini affirmat pretiosam et inusitatæ magnitudinis margaritam fuisse repertam in corde Margaritæ virginis, cui a Castello, Italiae urbe, nomen erat; postquam ea defuncta est in eo porro unione apparuisse impressam præsepis Christi nati imaginem; eoram illo vero ipsam virginem in genua provolutam. Causa tanti miraculi creditur fuisse, quod prædicta virgo nativitatem Christi frequenter meditari, cordique adeo suo quasi insculpere consueverat: servari unionem illum usque hodie in sa-

crario S. Dominici et conspici affirmat. Præclarum hoc est miraculum, auditores, quo qui aliud demonstrare voluit Deus, nisi quod magnopere ipsi placeat, si ejus nativitatem et præsepe frequenti et sorti meditatione cordi nostro imprimamus? Sic enim fore ut ipse in corde nostro quasi denuo nascatur, et in eo sibi domicilium adornet. Quid autem gloriosius quam talem hospitalem habere, domus et præsepe Filii Dei fieri? Quare ut hæc gratia nobis etiam contingat, convocemus omnes animarum nostrarum viros, et his quasi famulis stipati, transeamus usque Bethlehem una cum pastoribus, et videamus hoc Verbum.

I. Quis est, qui hodie in terram venit? Deus Filius de cœlo descendens. Quis non obstupescat, Deum in visibili et humana specie de cœlo descendere? Quanta cœli distantia a terra? Quæ illius cum hac communicatio? Et tamen hodie Deus inclinavit cœlos, et descendit, ait Psalmista, Ps. XVII. quasi diceret: Totam suam aulam detulit ac transtulit secum in terram, ut jam terra cœlo similis, et quasi unum quid cum ipso fieret. Ubi

enim est imperator, ibi et aula ejus; ubi Deus, ibi et cœlum. Atque ita sane loquitur Clemens Alexandr. ad gentes: *Terram mutat in cœlum Dei agricola, etc.* Magni æstimant homines, si in suam civitatem imperator transferat aulam suam; inde enim illi civitati quam plurima emergunt commoda, plurimæ divitiæ, maximus honor, nominis splendor, legatorum et nobilium confluxus, gratiosa spectacula, gratiæ et privilegia, etc. Quid non putamus Dei Filium detulisse secum in terram, quando ad eam inclinavit cœlos? Hinc jam non mirum, toties Ecclesiam militantem appellari *regnum cœlorum* ab ipso Christo: non mirum in ipsa reperiri privilegia et gratias plane cœlestes, panem angelorum, viros sanctos, angelorum cum hominibus commercia, virtutes plusquam humanas et angelicas, sacerdotes cœlesti et plusquam angelica potestate consecrandi eucharistiam et dimittendi peccata præditos, sacramenta divina, doctrinam et dogmata cœlestia, conversationem religiosorum angelicam, tot in mundo templa et monasteria, plurima passim miracula, etc. Hæc enim omnia sequuntur Dei in terras descensum. Quantum vero est hoc, ut summus cœli imperator in hunc mundi pagum se demittere, ibique inter homines voluerit habitare! Quantum hoc nobis decus et ornamentum! Quantum honor et divitiæ! Quantam parare lætitiæ debet! Sane Hebræi, quando viderunt in deserto panem mirabilem, omni dulcedine præditum, de cœlo ad se delapsum, præ admiratione exclamarunt: *Manhu! Quid est hoc?* Exod. XVI. quasi dicerent: Quale hoc donum? Qualis panis in cœlo ab angelis confectus? Qui sumus nos, ut cœlestem et angelorum panem manducemus? At vero istud parum est, respectu doni illius, quod hodie percipimus, estque panis vivus de cœlo descendens, ipse Dei Filius. Qui sumus nos, ut hunc panem accipiamus? Si vel angelus unus specie visibili de cœlo ad nos venisset, missus a Deo, jure meritissimo gratulari nobis deberemus, necnon Dei clementiam maximopere admirari et extollere; non secus ac Tobias cum familia sua, quando audiens Raphaellem de cœlo ad se missum, coram se assistere, tremens cecidit in terram, et tribus horis prostratus jacens, Deum benedixit, Tob. XIII. Quid enim plus est angelum unum, an Dominum angelorum e cœlo ad nos descendere? Gentiles erant Lystrenses; hi tamen, ubi viderunt claudum a Paulo erectum, in stuporem acti, levaverunt vocem suam Lycaonice dicentes: *Dii similes facti hominibus descenderunt ad nos;* tauros quoque et coronas afferebant, ut Paulo et Barnabæ sacrificarent, Act. XIV. Errarunt quidem isti in personis apostolorum, satis tamen osten-

dunt nobis, quid sentire debeamus, quando cogitamus Deum in persona verissime hominibus similem factum ad nos descendisse. Mirari enim et stupere ob tantum beneficium, Deum benedicere, sacrificiis et laudibus celebrare, toto peccatore exultare, et calentibus lacrymis donum hoc cœleste, quod angelis stupendum est, excipere nos docet; uti fecit S. Augustinus ad fidem conversus, qui lib. IX. conf. c. VI. sic scribit, hoc beneficium expendens: «Nec satiabar illis diebus dulcedine mirabili, considerare altitudinem consilii tui super salutem generis humani. Quantum flevi in hymnis et canticis tuis, suave sonantis Ecclesiæ tuæ vocibus commotus acriter? Voces illæ influebant auribus meis, et eliquabatur veritas tua in cor meum, et currebant lacrymæ, et bene mihi erat cum eis.»

II. Ad quos venit et quorum gratia? Ad nos et propter nos homines, amicitiam singularem nobiscum contracturus. Quis hic non iterum et multo magis obstupescat? *Quid enim est homo, quod memor es ejus,* ait David, *aut filius hominis, quoniam visitas eum?* Ps. VIII. et Job. c. VII. *Quid est homo, quia magnificas eum? Aut apponit erga eum cor tuum? Visitas eum diluculo:* rursum David, Ps. CXLIII. *Quid est homo, quia innotuisti ei, aut filius hominis, quia reputas eum? Homo vanitati similis factus est, etc.* Neque solum vanitas est homo, sed præterea, quando a Deo est visitatus, Dei ipsius inimicus et omni scelere contaminatus erat. Etenim mundus eo tempore, quo Christus in terram venit, maxime corruptus erat et sceleribus immersus, uti indicat apostolus ad Rom. V. iis verbis: *Ubi autem abundavit delictum, superabundavit gratia.* Erant enim tunc per universum orbem omnia referta Cimeriis tenebris, idololatria, erroribus, superstitionibus, et quæ inde oriuntur, vitiis omnis generis immanibus: Judæi quoque plerique, qui tunc soli Dei veri notitiam habebant, plurimis fidei tenebris et ignorantibus scatebant æque ac peccatis; ita ut pauci valde inter illos recte ambularent. Quam ob causam videtur Christus nasci voluisse media hieme mediaque nocte, ut indicaret, quanta tunc in mundo sterilitas bonorum operum, quantum frigus in Dei cultu, quantæ tenebræ et ignorantia tunc in terra forent. Quis enim media nocte tunc orabat, aliave pia opera faciebat? Omnes suæ quieti vacabant, et quam plurimi in voluptatibus et libidinibus per noctem se volutabant. Tunc ergo venit Christus quod bene advertit Isaias, c. IX. dicens: *Habitantibus in regione umbræ mortis, lux orta est eis.* In umbra mortis habitabant, quia ut umbra corpori, ita tunc mortales proximi morti æternæ erant, tenebrosi et nigri, destituti luce